

ibi. Concordat concilium Tridentinum, sess. 22, cap. iv, de Reform. ubi dictam Clementinam innovando, id ipsum decrevit. Et merito: quia enim in episcopum eligi non potest nisi subdiaconus, æquum fuit, ut nec eligere possit, qui tali ordine non est insignitus, quatenus hac ratione servetur proportio inter eligentes et electum.

18. *Loquendo de iis, qui divinis sunt mancipati officiis, alias secus.* — Notanter tamen tum in d. Clem. tum in concilio Tridentino loc. cit. mentio fit « de iis, qui divinis sunt mancipati officiis: » ad excludendum videlicet illos regulares, qui ad divina officia non sunt deputati; ut sunt ordines militares, item conversi, seu laici professi, ac moniales. Quia nihil velat, quin tales possint vocem habere in propriis capitulis, cum vi sui status non sint specialiter deputati ad officia divina, imo moniales penitus sint incapaces ordinum. Glossa ad cit. Clem. 2, §. *Mancipati*. h. t.

19. *Canonicatus, et portiones Ecclesiarum cathedralium, habent annexum ordinem sacerdotum, juxta concilium Trident., sess. 24, cap. xii de Reform.* — Resp. VI. Insuper, « ut in omnibus Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus, ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus, » novissime his ipsis verbis statutum legitur in concilio Tridentino, sess. 24, cap. xii, de Reform. Et quia concilium expresse loquitur de Ecclesiis cathedralibus, hinc ejus decretum non comprehendere collegiatis Ecclesiis, tenet Garcias, part. VII, de Beneficiis, cap. iv, n. 26, et seqq. et Barbosa, tract. de Canonicis, cap. ii, n. 28, et in Clem. 2, n. 3, h. t. citans alios.

20. *Secus dicendum de canonicatibus Ecclesiarum collegiatarum.* — Cum igitur concilium Tridentinum nihil disposuerit de canonicatibus Ecclesiarum collegiatarum, sed istud reliquerit intra terminos illos, qui ante dictum concilium præscripti fuerant: hinc ad canonicatus Ecclesiæ collegiatae, etiam insignis, requiritur, atque sufficit prima tonsura, et ætas quatuordecim annorum, quæ generatim requiruntur ad quodcumque beneficium, etiam simplex, juxta uberius dicta, tit. de Electione, § 9, n. 214, et 219 et seqq. Licet talis canonicus interim vocem in capitulo non sit habiturus, donec sacro ordine subdiaconatus fuerit insignitus, ut proxime dictum. Garcias, cit. part. VII, cap. iv, n. 39, cum aliis.

21. *Præficiendi vel jam habeant ordinem re-*

*quisitum, vel sint in ea ætate, ut infra tempus a jure statutum ordinari valeant.* — Resp. VII. Tandem nemo deinceps ad dignitatem, canonicatum, vel portionem recipi potest, nisi qui eo ordine sacro aut initiatus sit, quem illa dignitas, præbenda aut portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, et concilio Tridentino statutum initiari valeat. Ita loquitur idem concilium Trident. sess. 24, cap. xii, de Reform. postquam paulo antea in eod. cap. xii, decrevisset, quod « ad cæteras dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, et viginti duobus annis non minores, adscendantur. »

22. *Neque hodie circa talem ætatem potest episcopus dispensare, ut antiquitus.* — Unde infertur, quod, licet antiquitus permissum fuerit episcopis dispensare, ut, qui vigesimum annum compleverant, potuerint obtinere dignitates, et personatus non curatos, cap. un. h. t. in 6, id tamen hodie amplius non procedat. Barbosa ad cit. cap. un. n. 3, et ibi Layman, n. 3; Pirhing, h. t. n. 16, et alii. Ratio est: quia concilium Trident. cit. cap. xii, induxit jus novum, requirens ad dignitates, et personatus non curatos, viginti duos annos vel completos, vel saltem inchoatos; ut dictum supra tit. de Electione, § 9, num. 214, et 215, atqui in hoc nullibi legitur data episcopis potestas dispensandi, sicut in antiquo; ergo.

23. *Clerici sunt arctati ad recipiendos ordines, quos beneficia requirunt, sub pœna privationis horum.* — Quæritur III. Quæ pœnæ sint statuta contra clericos beneficiarios, qui non recipiunt ordines a jure requisitos? Resp. I. Hujusmodi clerici sunt astricti, et arctati ad recipiendos ordines, quos beneficia ipsa requirunt, et quidem sub pœna privationis talium beneficiorum. Ita communis. Idque patet imprimis ex cap. i, h. t. ubi generaliter statuitur: « Ut abbates, decani, et præpositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant: qui archidiaconatus tenent, diaconi; qui vero archipresbyteratus, presbyteri; aut amittant honorem. Quod si aliqua justa causa prohibente, presbyteri, aut diaconi esse non potuerint, prælationes amittant. » Hæc ibi. Concordat c. *Cum in cunctis*. 7, § *Inferiora*. de Elect. ubi illud ipsum, quod nempe talis ordo præscriptus recipiatur, non solum de promovendis, sed etiam de jam promotis, si canones non obstant, præcipitur observari. Simile quid habetur in c. *Com-*

*missa*. 35, de Election. in 6, et Clem. 2, h. t.

24. *Quid si canones obstant, quominus jam promotus ad beneficium, ob superveniens impedimentum ordinari valeat?* — Additur notanter, « Si Canones non obstant. » Nam si quis jam fuerat promotus ad beneficium, ac postea absque sua culpa canonicum superveniat impedimentum, quominus ordinem competentem recipere valeat (puta, quia incidit in gravem morbum, vel amisit pollicem) non debet propterea removeri a beneficio jam obtento; cum afflicto non sit addenda afflictio, c. *Ex parte*. de Cleric. ægrotant. cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Secus est dicendum, qui culpa sua incidit in ejusmodi canonicum impedimentum; ut quia ob crimen commissum factus est irregularis, sicque ordinem præscriptum recipere nequit: nam talis est removendus, juxta allegata postrema verba cit. c. *Ut Abbates*. 1, h. t. quod hac ratione concordat cum d. § *Inferiora*, ac notat hic Glossa §. *Si canones non obstant*, quæ (ut inquit Abbas ibid. num. 12.) ponit veritatem.

25. *Affertur alia responsio.* — Fatendum quidem, quod Layman in cit. cap. i, h. t. et Pirhing eod. n. 39, hanc distinctionem improbant, eo quod nimis restringat textum illius capituli; utpote in quo absolute dicitur, quod illi prælationes amittant, qui ex aliqua justa causa ordinari prohibentur. Unde (aiunt) melius dici, si citatum capitulum intelligatur de impedimento perpetuo; cum beneficium ecclesiasticum detur propter officium, cap. ult. de Rescript. in 6, et istud taliter impediti nunquam præstare valeant; jura vero contraria de impedimento temporali accipiuntur.

26. *Sed rejicitur.* — Verum hæc responsio incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdis; tum quia e converso ipsa nimium, atque sine solido fundamento, restringit textum in cit. c. *Cum in cunctis*. § *Inferiora*. de Elect. et aliis allegatis juribus, in quibus promoti ad beneficia jubentur ordinari, ut supra, addita tamen illa generali limitatione, « Si canones non obstant: » seu, ut alia jura loquuntur, « rationabili causa cessante: » tum quia hæc responsio directe pugnat contra cit. c. *Ex parte*. de Cleric. ægrotant., dum concedit laborantem perpetuo impedimento recipiendi præscriptos ordines esse removendum a beneficio, ad quod jam promotus fuit, quamvis in illud incidit absque culpa sua; tum tandem, quia cap. ult. de Rescript.

in 6, parum facit ad rem; non enim loquitur de impeditis ex causa rationabili, vel perpetuo impedimento detentis; sed de clericis, qui, cum possent, ac deberent residere, prætextu litterarum Apostolicarum percipiebant fructus beneficiorum in absentia, ex quo (inquit textus) « Officium plerumque, propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur. » Igitur prior responsio merito est retinenda.

27. *Dicta pœna privationis beneficii ob non receptum ordinem debitum, olim solum incurrebatur post sententiam, ac prævia monitione.* — Resp. II. Dicta pœna privationis beneficii, contra non recipientes ordinem præscriptum in præallegatis canonibus statuta, olim non incurrebatur ipso jure: sed primum per sententiam judicis, ac præmissa monitione fuerat infligenda. Ita desumitur ex cit. cap. i, h. t. ibi: « Aut amittant honorem. » Atque etiam ex d. c. *Cum in cunctis*. § *Inferiora*. de Election. ubi hoc ipsum procedebat in promotis ad Ecclesias parochiales, « si admoniti non fuerunt præfixo a canonibus tempore in presbyteros ordinati, » ut notat Hostiensis, et Abbas ibid. n. 2, estque communis.

28. *Idque quoad abbatiam, archidiaconatum, etc., etiamnum procedit.* — Atque istud quoad abbatiam, archidiaconatum, et hujusmodi prælaturas, etiamnum procedit: cum quoad has per jura subsequencia nihil reperitur innovatum, seu mutatum; prout factum esse circa promotos ad Ecclesias parochiales, illico dicitur. Nam illæ simpliciter non sunt parochiales sicque quoad eas servanda sunt antiqua jura, l. *Præcipimus*. C. de Appellation. cum similibus. Rebuffus, in *Praxi benefic.* tit. *De non promotis intra annum*. n. 30, citans alios. (ADNOTATIO L.)

29. *Secus de facto est dicendum de promotis ad Ecclesias parochiales si infra annum non ordinentur presbyteri: nam vacat Ecclesia ipso jure.* — Resp. III. Loquendo tamen de promotis ad regimen Ecclesiæ parochialis, de facto incontinenti, atque ipso jure, nulla etiam monitione præcedente, quis existit privatus commissa sibi Ecclesia, si infra annum ad sacerdotium se promoveri non fecerit. Ita habetur expresse statutum in concilio generali Lugdunensi, sub Gregorio X celebrato, ac refertur in c. *Licet canon*, 14, de Election. in 6, ubi quantum ad hoc, dictum c. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, eod. corrigitur, seu potius rigor ipsius augetur, eo quod in observatione canonis memorati sese multum

exhibuerint negligentes, utpote vi cuius nemo privabatur Ecclesia parochiali, nisi post præviam admonitionem neglexerit recipere presbyteratum, et sententia iudicis subsecuta fuerit.

30. *Atque hoc ipsum procedit in vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium.* — Porro dicta conclusio procedit etiam in vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium, text. clar., Clem. un. *de Offic. vicarii.* His quippe pariter incumbit, ut gregi eisdem credito personaliter deserviant, illumque pascant et verbo doctrinæ, et exemplo vitæ, sacramentorumque administratione, veluti perpetui rectores animarum suæ curæ commissarum; sicque merito jubentur ibidem intra annum promoveri ad sacerdotium, ad instar verorum parochorum.

31. *Non tamen in Ecclesiis curatis non parochialibus.* — Secus dicendum de eo, qui habet Ecclesiam curatam non parochialem. Quia cit. c. *Licet canon., de Election.,* in 6, loquitur tantum de promotis ad Ecclesiam parochialem; adeoque veluti odiosum, ac pœnale, simulque correctorium juris antiqui, non est extendendum ad promotos in Ecclesiis curatis non parochialibus. Rebuffus, cit. tit. *De non promotis intra annum,* num. 60. (ADNOTATIO LI.)

32. *Neque rigor ille procedit in Ecclesiis parochialibus collegiatis, et assumptis ad earum regimen. Nec etiam in harum prepositis et decanis.* — Insuper rigor, cit. c. *Licet canon.,* non procedit in Ecclesiis parochialibus collegiatis, et assumptis ad earum regimen; ut habetur decisum in c. *Statutum, 22, de Elect.,* in 6, estque amplius dictum, tit. *de Electione,* § 9, n. 220. Idemque a fortiori dicendum de præpositis, et decanis Ecclesiarum collegiarum, etiam curam animarum habentium: quia non sunt simpliciter Ecclesiæ parochiales, ac proinde in his antiqua jura sunt servanda, vi quorum non privantur ob non promotionem intra annum ad sacerdotium, nisi monitione prævia, et post sententiam iudicis. Rebuffus, loc. cit., n. 28 et 30, et concordant ea, quæ proxime, n. 27, de aliis prælaturis dicta sunt.

33. *Sicut nec in juste impeditis, quominus infra annum ordinentur. Annus hujusmodi quomodo sit computandus?* — Rursus a rigore cit. c. *Licet canon.,* excipiuntur juste impediti, quominus infra annum ad sacerdotium promoveantur. Nam annus ejusmodi (qui est computandus a tempore illo, quo culpam

parochialis Ecclesiæ regimen fuit commissum, atque ipse possessionem ejus pacificam habuit, vel per eum stetit, quominus eam haberet) non currit illis, qui justo impedimento detenti, infra tale tempus ordinari nequiverunt; prout declaratur in c. *Commissa,* 35, *de Election.,* in 6.

34. *Pœna privationis Ecclesiæ parochialis non incurritur ipso jure ob neglectum presbyteratum donec annus integer sit completus.* — Resp. IV. Præfata etiam pœna privationis Ecclesiæ parochialis non incurritur ipso jure ob neglectum, seu non receptum presbyteratum, donec annus integer sit completus: quo facto dicta Ecclesia parochialis nullatenus pro ea vice poterit illi, qui sic neglexit ordinari, iterato conferri. Ita habetur expressum in cit. c. *Commissa, de Elect.,* in 6. Et ratio prioris partis est: quia odia sunt restringenda; ergo, cum privatio beneficii sit quid odiosum, ad eam incurrendam requiritur annus ex toto elapsus: adeo, ut non sufficiat, tantum de anno illo transiisse, quod infra ipsum nequeat quis amplius ad sacerdotium promoveri, nisi annus ille fuerit completus, prout ibidem Pontifex declaravit. Concordat in simili, I. *In illa stipulatione,* et I. *Insulam,* ff. *de Verb. oblig.,* ubi stipulatio pœnalis, qua habet determinatum diem, non committitur ad interesse ante diem, etiamsi certum sit, ante diem fieri, seu promissum impleri amplius non posse.

35. *Et tunc dicta Ecclesia non potest pro ea vice iterato conferri illi, qui sic neglexit ordinari.* — Ratio posterioris partis est: quia si illi, qui ob neglectam receptionem sacerdotii post lapsum anni ipso jure privatus existit Ecclesia parochiali, posset hæc pro ea vice denuo conferri, facile eluderetur, ac ludibrio fieret statutum generalis concilii Lugdunensis, in d. c. *Licet canon., de Elect.,* in 6, relatum, suoque frustraretur effectu: cum, sicut primo anno finito posset rursus ipsi conferri Ecclesia præhabita, eadem ratione id fieri posset finito secundo, et tertio anno, et ita de singulis; sicque canon ille penitus eluderetur, suoque frustraretur effectu: atqui hoc est absurdum, L. ult., § *Ubi autem puerilis,* C. *De bonis quæ liberis,* etc. Et alioquin lex non rebus, sed verbis videretur imposita, prout ibidem argumentatur Pontifex, et amplius declarat Glossa.

36. *Bene tamen pro alia vice.* — Quia tamen textus ille solummodo hoc fieri prohibet « pro ea vice, » hinc nihil impedit, quin talis pro-

moveatur ad eandem parochiam pro alia vice, sive alia ejus vacatione superveniente. Prout in simili notatur in c. *Cum Ventonensis,* 23, *de Election.,* de iis, qui ob electionem indigni, pro una vice sunt privati potestate eligendi: nam in alia electione libere eligunt, cum per primam privationem jam censeatur purgatum ipsorum vitium.

37. *Recipiens Ecclesiam parochialem absque animo suscipiendi sacerdotium intra annum, tenetur ad restitutionem fructuum.* — Resp. V. Insuper, si quis non intendens promoveri ad sacerdotium, recipiat parochialem Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipiat, ipsam elapso anno postmodum dimissurus, tenetur ad restitutionem talium fructuum, cum eos receperit fraudulenter: nisi mutato animo postea infra annum promotus fuerit ad sacerdotium. Ita rursus habetur decisum in cit. c. *Commissa, de Elect.,* in 6. Quamvis hanc pœnam solum procedere pro foro conscientiæ, non autem, quod contra talem detur actio in foro externo, velit Rebuffus, ubi supra, n. 15 et 16, et favet textus in can. *Cogitationis, de Pœnit.,* dist. 1, ibi: « Cogitationis pœnam nemo patitur. »

38. *Secus si habuit talem animum assumendi presbyteratum, etsi postea non ordinetur.* — Secus dicendum de eo, qui Ecclesiam parochialem recepit, bono animo intra annum assumendi presbyteratum: nam talis non tenetur restituere fructus eo tempore perceptos, quo sanam intentionem habuit, licet postmodum mutata voluntate non promoveatur intra annum ad sacerdotium. Idque probatur ex cit. c. *Commissa,* argumento a sensu contrario desumpto: ac tradit Barbosa, ibid. num. 24, post Azorium, part. II, lib. VI, cap. VIII, q. 10; Sanchez, lib. VII, *de Matrim.,* disp. 45, n. 1 et seqq., et alios.

## TITULUS XV.

### De Sacra Unctione.

1. *Duplex species unctionis, exterior videlicet, ac interior.* — Quia ex ordinandis, atque præficiendis, aliqui juxta morem Ecclesiæ catholicæ, sacra unctione deliniri solent, merito de hac præsens rubrica subjungitur. Et quidem imprimis in cap. un., § *Scire te volumus,* h. t., duplex assignatur species unctio-

nis: una scilicet exterior, quæ materialis est, atque visibilis, seu per quam visibiliter inungitur corpus. Alia interior, quæ spiritualis est, et invisibilis, mediante qua invisibiliter inungitur cor, sive anima hominis per gratiam Spiritus sancti digne sumenti infusam, quæque per unctionem illam exteriorem signatur.

2. *Omnes sacre unctiones in Ecclesia catholica usitate reducuntur ad sex capita; et quæ?* — Licet autem plures in Ecclesia catholica usitæ sint sacre unctiones, quæ etiam in præsentis titulo, una cum mysticis suis significationibus, breviter, simulque energice referuntur: omnes tamen illæ ad sex principalia capita reducuntur, videlicet ad unctionem, seu consecrationem episcopi; sub hac comprehendendo etiam unctionem presbyterorum, veluti præviam respectu illius, ut innuitur cap. un., § *Ungitur,* h. t. Ad unctionem regis, quæ multipliciter differt a priori, prout ibid., § 1 et 2, declaratur. Ad unctionem omnium christianorum in baptismo, qualis tunc quaterna vice, et sub peculiari mystica significatione, loc. cit., § *Quia vero,* singillatim explicata, dicitur fieri. Ad unctionem chrysmatis post baptismum, quæ fit in collatione sacramenti Confirmationis. Ad unctionem infirmorum, quæ peragitur in sacramento Extremæ Unctionis, et de qua in cap. un., § *De prima,* h. t. fit mentio. Et ad unctionem altaris, templi, et calicis, dum consecrantur, dedicantur, seu benedicuntur juxta ritum Ecclesiæ catholicæ, atque ad exemplum sancti Sylvestri Papæ; de qua in cit. cap. un. § *Ungitur,* h. t. habetur sermo.

3. *Ecclesia non judaizat adhibendo sacras unctiones; et cur?* — Neque hinc perperam quis inferat, quod judaizat Ecclesia, imitando ritus judæicos in unctione sacerdotum, regum et templorum. Nam, ut respondet Pontifex ibidem, « Unctionis sacramentum aliud quidem efficit, et figurat, tam in Novo, quam in Veteri Testamento; unde non judaizat Ecclesia, cum unctionis celebrat sacramentum. » Etenim unctiones Veteris Testamenti adhibebantur a Judæis per figuram, et veluti significatio futuræ gratiæ: unctiones autem Novi Testamenti exercentur in veritate, ac prout sunt significatio gratiæ præsentis.

4. *Unctiones sacre sunt diverso, et excellentiori modo in lege evangelica, ac in lege veteri.* — Accedit, quod istæ fiant modo diverso, ac longe excellentiori præ illis. Nam in veteri lege caput Aaronis, at aliorum pontificum,